42 Iudex ecclesiasticus, sive ordinarius, sive delegatus nihil recipere potest sportularum nomine, cap. Cum ab omni 10. de vita, & honest. Clericor.: "Nos attendentes, quod ad hoc vobis, & aliis Clericis sint ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis... ideoque mandamus, quatenus ab huiusmodi exactionibus de cetero abstinentes vigorem iudi-

ciarium gratis studeatis litigantibus impertiri." Et in ejus summario sic expresse dicitur: "Ecclesiastici Iudices, & Delegati gratis iudicare debent, nec exigere possunt decimam, vel aliam quorundam Iuris, etiamsi hoc habeat consuetudo." & sic tenent Abbas ibid. num. 9. Engel lib. decretal. tit. 32. num. Reiffenstuel ibid. num. 19. & alii. Et de Iudice Delegato habetur etiam expresse in cap. Statutum 11. §. Insuper, & §. Assessorem, de Rescriptis in 6. ubi §. Si quid autem: subjungitur teneri Iudicem ad integram restitutionem muneris recepti, non obstante remissione ei facta a dante; Et concordat cap. Exigit §. final. de Censibus in 6. & Clement. Nolentes §. Quod si secus de Hereticis: ubi pariter liberalis remissio dantis non eximit recipientem ab obligatione restitutionis.

43 Iudex Laicus Delegatus potest exigere sportularum nomine certam quotam pecuniae, videlicet duos aureos a principio, & alios duos aureos in fine litis ab utraque parte litigantium prestandos, dummodo summa, pro qua litigatur, centum aureos excedat; Ita habetur in Authent. de Iudicibus §. Ne autem collat. 6.

44 Iudex autem Laicus Ordinarius nequit aliquid recipere sportularum nomine, quia is iam aliunde habet salarium sibi a Principe, vel Republica constitutum; sic expresse evincitur ex l. Plebiscito ff. de off. Praesid. & leg. Solet ff. de off. Proconsul. & notat Glossa in l. 3. Cod. de panis Iudic. & tenet Engel lib. 1. decret. tit. 32. num. 12. Reiffenstuel ibid. num. 18. Silvester verb. Iudex 1. num. 15. quest. 8. Rosignol. loc. cit. num. 3. Molina tom. 1. de iustitia disp. 83. citans plures alios; Lugo tom. 2. disp. 37. num. 123. ubi testatur de communi, & dicit, quod Iudex habens sibi assignatum certum, & determinatum stipendium pro suis actionibus, iam debet illas ex iustitia, & per consequens non potest aliud pretium pro illis accipere, & si recipiat, cum iniuste illud recipiat, debet restituere.

45 Si autem Iudex sive Ordinarius, sive Delegatus, sive Ecclesiasticus, sive Secularis, non habeat sibi assignatum stipendium, nec congruum sustentationem, poterit pro Iudiciis sibi commissis exigere sportulas, seu honoraria. Apostolus enim 1. ad Corinth. cap. 9. num. 7. dicit: Qui militat suis stipendiis utitur? & ibid. n. 13. subjungit: Nescitis quoniam qui in Sacario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant; & Matth. 10. num. 10. dicitur: Dignus est operarius cibo suo. Lucae 10. num. 7. Dignus est enim operarius mercede sua. Deuteronomio 25. n. 4. habetur: Non ligabis os bovis terentis in area frugis suas, & haec omnia allegantur ab Apostolo 1. Timoth. cap. 5. num. 18. ibi: Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti: Et dignus est operarius mercede sua; & concordat cap. Cum secundum 6. de praebend. ibi: Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, non debeat repelli a mercede &c. cap. Charitatem 45. caus. 12. q. 2. ibi: Iustum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, cum similibus; & sic tenent Layman lib. 3. tract. 4. num. 9. La Croix lib. 4. n. 1503. Lugo loco citat. n. 125. Haunold. Rosignolus; & alii. (Vid. in C. pag. 17. in add. hinc.)

46 Sportulae sunt quaedam vasa, in quibus aliquid reponi, ac deferri solet, & praecipue apud antiquos erant capae pecuniae condendae causa paratae, ac consuetudo tulit, ut sportulae pro ipsa pecunia usurperentur. Ea enim pecunia sportulae dici coepit a sporta, seu sportella, receptaculo maioris summae pecuniarum. Unde pecunia illa, quae Iudicibus, vel Viatoribus, id est executoribus litium, ac negotiorum pro salario dabatur, sportulae sunt appellatae; Calvini in Magno Lexico Juridico verb. Sportula; ubi adducit ad hoc Rubri. de sportulis, variasque alias leges. Hinc quantum ad praesens sportularum nomine intelligitur salaria, seu honoraria Iudicibus pro causis Iudicialibus in certa quota pecuniae a partibus litigantibus praestanda, prout habetur ex Rubrica leg. 3. tit. 2. Cod. de sportulis, sumpibus in diversis iudiciis faciendis.

47 Iure naturae illicitum est Iudici ob munus acceptum post-

postponere cum damno causas eorum, qui diutius expectarunt, & citius expediri deberent; Certa, & Communis cum Card. de Lugo loc. c. num. 125. Haunold. num. 58. La Croix loc. cit. num. 1500. Non est autem Iure naturae illicitum Iudici propter munus acceptum causas expedire unam causam, quam aliam, quando ille causae aequo cito expediri debent, & in arbitrio ipsius est prius expedire, quam vult, quia per hoc non facit aliis injuriam, & aliunde in gratiam remunerationis suscipit novam obligationem prius expediendi ejus causam; quae obligatio, cum sit utilis remuneratori, videtur pretio aestimabilis, Diana part. 3. tract. 5. resolut. 45. Rosignol. de restitutione 1. disquis. 1. §. 4. num. 8. quibus videtur consentire Layman lib. 3. section. 5. tract. 4. num. 9. La Croix loco citat. num. 1500. & alii. Qui tamen merito dicunt cavendum esse, ne propterea hac expeditis causae propter pecuniam sit conjuncta cum alterius injusto damno, quia cum motivo accelerationis causae ob munus acceptum subingreditur etiam praesumptio favoris in meritis causae. Unde quamvis talis acceptio munerum non sit illicita Iudici de Iure naturae, videtur tamen esse ei illicita de iure positivo per iura adducta sub num. 33. & seq. (Praeter hic subiectum vid. verb. Xenia.)

50 Iudex non potest quicquid esse in causa, in qua fuit prius Advocatus; leg. Eos, in principio. Cod. de appellat. & leg. Praeter, de jurisd. omnium Iudic. cap. Nullus unquam 1. & cap. Nullus introductus 5. caus. 4. q. 4. Et ratio est, quia ejus Iudicium haberetur suspectum, & praesumptio staret contra ipsum specialis affectionis, quam habere ad eam partem ad se olim iam defensam, ut cum communi Doctorum docet Sanchez lib. 3. consil. cap. unic. dub. 26. Bartolus in leg. Quisquis vult, Cod. de Postulando; Reiffenstuel lib. 1. decretal. tit. 37. num. 39. Potest tamen de contra quicquid fieri Advocatus in causa, in qua fuit prius Iudex, quia tunc cessaret dicta suspicio, & praesumptio. Nec illam ius extat prohibens eum a tali Advocacia; Communis.

52 Iudex non potest judicare secundum sententiam minus probabilem, relicta probabiliori; Communis, ac certa, propter sequentem propositionem 2. in ordine ex merito damnatis ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. ibi: Probabiliter existimo Iudicem posse judicare iuxta opinionem etiam minus probabilem. Nec potest Iudex in aequali probabilitate opinionum utriusque partis litigantium ullatenus accipere pecuniam, seu munera pro ferenda sententia in favorem unius praeter alio; Communis etiam, ac certa propter sequentem propositionem ordine 26. ex merito damnatis ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. ibi: Quando litigantes habent pro se opiniones aequo probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius praeter alio.

54 Quando cunctis bene perpensis apparent adhuc Iudici aequo probabiles, atque per omnia aequales rationes, & probationes utriusque partis, tunc in pari causa pro Reo, vel pro Possessore est iudicandum; cap. Cum sunt 11. de regulis juris in 6. ibi: Cum sunt pariter iura obscura, Reo favendum est potius, quam alicui, leg. Favorabiliores 167. de regulis juris, ibi: Favorabiliores Rei potius, quam Aduersus habentur, cap. In pari 65. de regulis juris in 6. ibi: In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis; leg. In pari 170. de regulis juris, ibi: In pari causa possessor potior haberi debet; cap. Ad aures 6. de praescriptionibus, ibi: De iure melior est conditio possidentis, & cap. Ex literis 3. de probationibus, ibi: Quod si amborum pariter testes sunt aequo id noi, possessoris testes praefertuntur, cum prompiora sint iura ad absolvendum, quam ad condemnandum. Excipiuntur tamen causae privilegatae, liberales, seu favorabiles, v. g. matrimonii, libertatis, dotis, ac testamenti, quia in aequalitate probationum iudicatur pro causa liberali, seu favorabili, textu expresso in cit. cap. Ex literis: ibi: Praeterquam in liberali causa, in qua, si utriusque partis testes aequales fuerint, pro libertate sententia praefertur, Et Glossa communiter recepta ibid. verb. In liberali: ubi excipit dictas causas in his duobus versibus contentas.

Stat Testamentum, Libertas, Cohajugium, Dos, Si sum aequalis, qui producantur utrinque.

Et expresse excipiuntur dictae causae in cap. Duobus Iudicibus 26. de sententia, & re iudicata, ibi: Tenet pro Reo, non pro Aduersus, sententia, nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata.

56 Iudex regulariter loquendo iudicare debet secundum allegata, & probata; Communis, ac certa, et certis Iuribus in cap. Iudices 4. caus. 3. quest. 7. in cap. Cum aeterni Tribunal. 1. de sententia, & re iudicata in 6. & in l. Rem non novam C. de Iudicibus, cum similibus. An autem Iudex debeat iudicare secundum allegata, & probata etiam contra propriam certam scientiam, tres sunt opinioniones, duae extremae oppositae, & una media inter utramque. Prima sententia absolute, & universim Iudicem posse, ac debere semper in quaevisque causa iudicare secundum allegata, & probata, etiam contra propriam conscientiam, si nullum medium superest effugiendi, & praesertim liberandi v. g. quem ipse Iudex privata scientia certo scit esse innocentem, & secundum allegata, & probata comparat nocens, & reus morte dignus; & hanc sententiam tenet expresse S. Thomas 2. 2. quest. 64. art. 6. ad 3. ubi sic praecise dicit: Iudex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligenter examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innocentem, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet cum Superiori relinquere iudicandum. Si autem hoc non potest, non peccat secundum allegata, & probata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem, & universim quest. 67. art. 2. & sic tenent Cajetanus, Sotus, Navarrus, Paludanus, Alenis, Thomas Sanchez, Bartolus, Julius Clarus, Covarrubias, Joannes Andreas, & alii apud Card. de Lugo disp. 37. sect. 4. num. 42. argum. cap. Iudices 4. caus. 3. quest. 7. ubi ex verbis S. Ambrosii habetur: Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo faciat, & domestica proposito voluntatis, sed iuxta leges, & iura pronunciat, scilicet Iuris obtemperat, non indulget propriae voluntati, nihil paratum, & meditata domo refert: sed sicut audit, ita iudicat, & iudicium se habet negotii natura, decernit, obsequitur legibus, non adversatur. Et Glossa ibidem; & alia Glossa in cap. Pastoralis 28. §. Quid vero, de Officio Delegati, & alia Glossa in cap. Perniciosam 1. de Officio Iudicis Ordinarii, ubi sic expresse dicit: Iudex debet iudicare secundum allegata, & secundum canones, & leges; & non secundum conscientiam; argum. cap. Summopere 7. in q. 3. & leg. Illicitas §. Veritas ff. de Officio Praesid. in cuius Summario sic expresse dicitur: Iudex debet iudicare secundum allegata, & probata, non autem secundum conscientiam.

59 Secunda sententia extreme opposita prima docet in nulla causa posse Iudicem iudicare secundum allegata, & probata contra propriam conscientiam, & condemnare quem privata scientia certo scit esse innocentem; Sic tenent Abbas Panormitan. in citat. cap. Pastoralis, §. Quia vero num. 8. circa finem, de officio Delegati, Nicolaus de Lira in Exodi cap. 23. Rovella verb. Iudex, Angelus verb. Iudicare, & alii, quos citat Lugo disp. 37. sect. 4. n. 42. & Lessius lib. 2. cap. 26. num. 84. Pontas verb. Iudex car. 3. ubi etiam solvit fundamenta prioris sententiae. Et ratio istorum est, quia Iudex ferendo sententiam contra privatam suam certissimam scientiam seipsa mentietur, aliud enim dicere, quam scias, mendacium est, atque intrinsece malum, & nunquam licitum; Unde Exodi 23. sic expresse praecipitur omni Iudici: Non suscipies vocem mendacii.... Nec iudicio plurimorum acquiesces sententia, ut ad vera devies. Et Apostolus ad Rom. 14. sic scribit: Omne, quod non est ex fide, peccatum est, id est omne, quod fit contra conscientiam, peccatum est, ut explicat Sanctus Ambrosius relatus in cap. Querae hic §. Illud autem, de panis. disp. 3. Tum quia praesertim in criminalibus nullimode potest habere locum prima sententia, quia nullo modo licet Iudici condemnare ad mortem, quem certissime scit esse innocentem, suprema lege Dei id pro-

híbente Exodi 23. ibi: Insonem, & justum non occides, quamvis enim per leges humanas teneretur Judex condemnare ad mortem secundum allegata, & probata ostensum reum, quem ipse privata scientia scit certissime innocentem, adhuc tamen non posset licite ipsum condemnare, ratione dicte legis divinæ id prohibentis, cum contra legem divinam, & naturalem nihil valeant leges humanæ; arg. cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de majori. & obediens. Clementin. Ne Romani, de election. (Vide verb. Lex in add. novis).

60 Tertia sententia duabus aliis probabilior, docet, quod si nulla media declinandi officium Judicis supersint; possit quidem Judex secundum allegata, & probata contra propriam scientiam licite ferre sententiam in civilibus, & causis criminalibus, ubi solum agitur de pœna pecuniaria, privationis officii, vel honorum; Non autem in criminalibus majoribus, in quibus agitur de pœna vitæ, vel mutilationis; Sic tenent Imola, & alii Juristæ in Leg. A Divo Pio ff. de re judicata, Pirhing. l. 1. dec. tit. 32. num. 5. & 10. Reiffenstuel ibid. num. 40. Clingesperger lib. 4. Institut. tit. 17. quest. 4. Adrianus quodlib. 2. punct. 3. & quodlibet. 6. art. 3. Lessius l. 2. de justit. & jur. cap. 29. dub. 10. Layman lib. 3. theol. moral. tr. 6. c. 2. num. 8. Lugo 1. 2. disp. 37. sect. 4. num. 42. & sequent. Coninch. 1. 2. de Sacramentis disp. 13. de censuris num. 106. & 110. & disp. 34. de matrim. num. 98. Petrus Navarra de restitut. cap. 3. num. 161. Malderus, Sa, Bonacina, Toletus cum Busembau, & La Croix l. 4. c. 3. dub. 2. art. 4. & alii.

61 Ratio autem, quare Judex possit licite contra propriam conscientiam ferre sententiam secundum allegata, & probata in civilibus, & criminalibus minoribus, & non in criminalibus majoribus, est, quia Judex in causis civilibus, & criminalibus minoribus habet ad hoc legitimam potestatem ab ipsa republica, quæ est domina honorum suorum subditorum, & potest de illis disponere, quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo evertatur. At vero in criminalibus majoribus non habet Judex hanc potestatem à republica, quæ, cum non sit domina vitæ, ac membrorum suorum subditorum innocentium, non potest concedere Judici talem potestatem. Tum quia occidere innocentem est intrinsecus, malum sicuti cognoscere non suam uxorem: sed nemo potest licite cognoscere, quam certo scit esse non suam, quantumvis probetur per legitimos testes esse suam, & Judex pronuntiet esse suam, ergo nec etiam licetibi condemnare innocentem, quantumvis probetur nocens per falsa, & apparentia testimonia. Major est clara, minor est certa, & communis, & conceditur ab ipsismet Auctoribus contrariis; arg. cap. Inquisitioni 44. de sentent. excommuni. ubi conjux certo sciens occultum impedimentum matrimonii, quod tamen in judicio probare nequit, tenetur potius humiliter sustinere excommunicationem, quam juxta sententiam Judicis reddere debitum, adeoque neque in proposito potest republica dare auctoritatem Judici ad licite condemnandum innocentem contra propriam conscientiam, quantumvis probetur nocens per falsa, & apparentia testimonia, & ad hoc faciunt dicta supra num. 52.

62 Nec valet dicere, quod sit contra rationem, ut plus deferatur uni, quam duobus, vel tribus testibus, uti faceret Judex, qui propter suam solam privatam scientiam reliqueret testimonium duorum, vel trium testium. Tum quia hac ratione quilibet Judex fingere posset se habere privatam scientiam de innocentia convicti Rei, & sic quemlibet Reum sibi bene affectum liberare in grave Republicæ detrimentum. Non valet, inquam, quia licet sit contra rationem credere magis uni testi, quam duobus, vel tribus, non est tamen contra rationem credere magis sibi, quam centum testibus, quia unusquisque facit sibi plenissimam fidem. Immo non solum facit sibi fidem, sed evidentiam rei, contra quam non valent centum testes oppositum deponentes; At tum quia responderi non adesse tale periculum in grave assertum reipublice detrimentum, quia cum in foro externo non sit credendum Judici, nisi id probet, sed potius debeat puniri

propter justitiæ ordinem non servatum, non subit libenter illud periculum punitiois in foro externo, nisi urgente, & stimulantem conscientiam in foro interno gravius punitiois apud Deum, juxta illud Matthæi 10. num. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timeite eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.

De primo igitur ad ultimum, quando Judex scit certo scientia privata aliquem esse innocentem, licet iudice probatus sit nocens, tenetur omni modo eum liberare, si potest, v. g. excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem; Vel singillatim interrogando circumstantias loci, temporis, & hujusmodi (juxta exemplum Danielis Prophætæ Daniel. 13.) ut si testium falsitas possit deprehendi. Vel relinquendo carcerem apertum, si hoc sine majori malo, & scandalo fieri possit. Vel remittere causam ad Judicem Superiorem, & coram illo testificari innocentiam certo se cognovit Rei falso accusati. Quod si autem nullum præfatorum, aut similitium fieri posset, seu juvaret pro liberando tali innocente, & Judex argeretur à præpetente parte ad ipsum morti adjudicandum, tunc potius debet Judex officium dimittere, quam innocentem contra propriam conscientiam, licet iudice probatum nocentem, ad mortem condemnare, non obstante, quod etiam hoc modo nihil esset ipsi innocenti profuturus; Sic verus censet cum aliis Lessius lib. 2. tit. cap. 26. num. 78. Mastrius Theol. Moral. disp. 6. num. 25. Felix Potestas tom. 1. p. 1. num. 118. & 119. Reiffenstuel loc. cit. num. 50. Lugo, Filiucius, Toletus, & alii citati pro tertia sententia.

Judex licet habeat certam scientiam privatam contra Reum, quia v. g. propriis oculis vidit illum delinquentem, si tamen iudice probatus sit innocens, non potest licite ipsum condemnare, quia Judex, ut persona publicæ, debet sequi scientiam publicam, & procedere secundum allegata, & probata præsertim in favorem Rei; arg. cap. Odiā 15. de regulis Jur. in 6. ibi: Odiā restringi, & favores convenit ampliari; cap. In pœnis de regul. Juris in 6. ibi: In pœnis benignior est interpretatio faciendā, leg. 115. ff. de regul. Juris, ibi: In pœnalius causis benignius interpretandum est, l. 42. ff. de Pœnis, ibi: Interpretatione legum pœna molliendā sunt potius, quam asperandæ, & sic tenent S. Thom. 2. 2. q. 67. Navarr. cap. 25. Abbas in cap. Pastoralis 28. de officio Delegati 5. Quia vero n. 8. Covarrubias lib. 1. Variar. resolut. cap. 1. n. 8. Cajetanus, Filiucius, Lessius, Bonacina cum Busembau, & La Croix lib. 4. cap. 3. dub. 2. art. 4. Reiffenstuel lib. 1. decretal. tit. 32. num. 36. & alii. Et ratio est, quia generale est, quod Actor non probante, Reus absolvitur; cap. Cum Ecclesia Sutrina 3. §. final. de causa possession. & propriet. l. Qui accusare Cod. de edendo, cum similibus. Tum quia talis Judex absolvendo Reum non agit contra propriam conscientiam, cum non pronuntiet eum esse innocentem, sed solum quod contra ipsum nihil legitime, & iudice fuerit probatum, & pro hac conclusione faciunt Jura adducta sub num. 57.

Judex non potest à reis criminaliter inquisitis exigere 65 juramentum, dum judicialiter uti principales examinantur; Sic novissime statuit Benedictus XIII. in Concilio Romano tit. 13. de Jurjurando cap. 2. Vide verb. Accusatus num. 26.

Judices synodales, quibus à Romana Curia committuntur judicande causæ in partibus à Curia remotis, designari debent persone in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive personatum, sive canonicatum in aliqua cathedrali ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab Episcopis in synodis; & si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra synodum ab Episcopo cum consensu Capituli usque ad novam synodum perseveraturi. Designatorum vero sive in synodis, sive extra, nomina Secretario supplicum libellorum Pontificis deferantur. Designatorum vero saltem quatuor in quacumque diocesi, vel plures, si amplitudo ejusdem potuisset. Benedict. XIV. r. Bull. const. 28. incip. Quamvis Patet n. 1. Vid. Breve S. D. Clem. XIV. in add. hisp. verb. Appellatio, & Ord.

circul. verb. Forum, vers. Nemini in dubium:)

67 \*Judices synodales in omnibus diocesis designari jubentur, Benedict. XIV. tom. 1. const. 28. incip. Quamvis §. 5. Et permittuntur eligi ab Episcopis extra synodum cum consilio Capituli; Idem ibid. §. 5. & 6. \*

68 Eorum nomina Pontifici sunt denuntianda, ut causarum commissiones ipsis dirigerentur; Idem ibid. §. 5. & 6. \*

69 Quatuor hic non incongrue sunt discutienda. I. An Judex supplere valeat, quæ omisa à partibus sunt. II. An sequi tenetur sententiam æquiolem. III. An probabiliorum. Et demum. IV. Quid faciendum, si causa ei videatur utrinque æque probabilis.

Ad primum quod attinet, potest Judex ea supplere 71 quæ juris, non item quæ facti sunt, nisi ex actis relucant. Primum membrum probatur ex Lege Unica C. Ut quæ derunt Advocat. part. Judex supplet: (Ad rem glor. 2. D. Greg. Lopez in leg. 13. tit. 4. p. 3. Non officii perlegere leg. 11. ejusd. tit. & p.) membrum posterius inde patet, quod Jura partium allegare non Judicis, sed Advocati officium est, Consule Voet in Comm. ad Pandect. l. tit. num. 49. Limitatio subnexa est æque aperta, propterea quod si facta ex actis relucant, scit illa ut Judex, consequenter quam fidem publicam sequi debeat, debet etiam secundum illa pronunciare. Quapropter si ex actis colligat alterutrum litigantium præscripsisse, debet ei rem ex præscriptione adjudicare, esto in ea se non fundaverit, Brunman in d. L. unica n. 8. Zanger. de Except. p. 3. cap. 26. num. 16.

73 Addit Stryk-juridic. dist. vol. 2. disp. 2. c. 3. n. 7. Si facta 74 quadam (sunt ejus verba) Judici nota sint, etiam ex aliis actis ista supplere tenetur. Sed meo iudicio minus recte.

75 Quod concernit secundum, si Jura sint utrinque dubia, tenetur Judex sequi sententiam æquiolem. Et ita 76 capi debet L. 8. C. de iudicis ubi habetur: Placuit in omnibus rebus præcipuum esse justitiæ, æquitasque, quam stricti juris rationem. Ceterum si lex sit clara, esto Judicis dura, ac nimis videatur rigorosa, non potest tamen ab ea recedere, L. 12. §. 1. ff. Qui & à quib. manumitt.

78 Quoad tertium, recte Auctor n. 52. sensit haud posse Judicem sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Adi vero Peregrin. in manduct. ad Jurisprud. Justin. l. 4. tit. 18. qui & de eo disserit an Advocatus causam tueri possit secundum opinionem probabilem in concursu probabilioris.

79 Restat ut de quarto disseratur. Variæ autem sunt hæc de questione opiniones. Mihi ea semper arrisit sententia, ut Judex vel transactione suadeat, vel eo rem dirigat, ut forte aut per arbitros controversia dirimatur, aut vero æqualiter dividatur. Confer Peregrin. in manduct. ad Jurisprud. Justin. lib. 4. tit. 18. qui aliorum opiniones refert, unaque confutat. ¶

(Videatur lit. A pag. 68. n. 12. apposita: pag. 159. col. 2. pag. 161. col. 2. & 163. col. 2. in add. nov. hisp. Recognoscatur add. hisp. ex pag. 181. & 210. col. 1. vers. Quivis: in ead. lit. A Ne contemnatur add. hisp. lit. C pag. 145. in fin. pag. 168. vers. Consonat: pag. 244. col. 2. prope n. 37. lit. D ex pag. 41. ad 84. in novis. hisp. add. cum lit. F ex pag. 86. in utriusque add. tam hisp. quam hisp. nov. lit. R pag. 37. ad n. 176. col. 2. Vid. etiam verb. Advocatus.

Etsi, his recognitis, sufficiens instructio exhibetur, ut veniamus in cognitionem qualitatum, quibus ornati seu præditi esse debent ad justitiam distribuendam admittendi; nihilominus quid amplius hæc materia amplificabitur ut minus et aliqua notio notetur iudicum, quorum in nostris juris corporibus, in prologo ad Lectorem præmissis, recordatur.

Erant iudices qui in curia leg. 5. tit. 9. p. 2. regia causas terminabant: eisdem hodie, ni fallor, iudices inferiores, videlicet nostro idiomate Alcaldes de Corte en su Provincia, y los Tenientes de Villa (Vid. verb. Appellatio, in add. hisp.) æquiparantur: alii super his vulgo Sobreyeques agnoscebantur, causas in gradu appellatorio ab illorum sententis prosequentes: hisce nostra ætate Judices Supremi in aula tribunalis vulgo Alcaldes de Corte seu in Supremo Castellæ senatu, in ea, cujus denominatione nomine seu voce de Provincia distinguitur; (Vid. lit. A pag. 186. vers. Prætereundum, & seq.:

Præfectus Curie itidem noscebatur: dum à Regia persona nec audiri, nec diffiniri causæ poterant, iste nominabatur, ut in gradu appellatorio finem litibus imponeret; Præses Provincie vulgo Adelantado quoque creatus advenit: extra Curiam omnem habebat potestatem super iudices illius provincie, præsertim ad iudicandum in dicto gradu: incumbere eidem inquisitiones facere non solum ut malefactorum plecterentur, verum etiam ut omnibus tribueretur justitia: regia prætoria, seu cancellaria locum ejus pro nunc occupant, sicut eorum nomen, vulgo Merinos mayores, adipsentium: hi erant iudices duplici discrimine notati, nimirum Mayores & Minores: tamquam locum Præsidi provincie tenentes à manu seu voluntate regia illi, isti à prædictis Præsibus, sive Merinis majoribus eligebantur: dicebantur Minores quibus certæ causæ private competebant, & committebantur, scilicet criminales publicam vindictam appetentes: nostris temporibus iudices non reperitur quibus possit conferri nisi cum iudicibus vulgo Alcaldes de la Hermandad dum plene & absolute eorum facultates inspiciebantur, ac judicibus crimina punientibus in Prætorio: (Repete verb. Prætereundum: ) nunc equidem iudicum Ordinariorum, Prætorive territorii præcipuæ sunt partes. (Vid. ad rem lit. G pag. 150. in add. nov.) Alii, qui in civitatibus, villis, ceterisque populis ad justitiam administrandam constituebantur: comparantur isti cum nostris iudicibus vulgo Alcaldes Ordinarios, Corregidores, & Alcaldes mayores; creabantur alii ab artificio collegiis in rebus ad exercitium eorum pertinentibus: ab omnibus, sive à majori parte electi in eisdem rebus ad iudicandum facultatem obtinebant: censentur ejusdem nature quæ hodie no tempore tribunalia pro negotiatoribus lingua vernacula Consulados æstimantur: Vide tit. 13. lib. 3. Recop. Castelle, 6. & 49. lib. 9. Recop. Indiar. cum Reg. Sched. inter alias 24. Novemb. an. 1784. Dicitur tituli in erectione Consulatuum Burgensis, Flavisensis, Mexicani, & Limani sunt publicati: regia vero schedula in Hispaniæ, quæ quidem in libello vulgo Gazeta ann. 1784. num. 104. & 105. annique seq. 1785. num. 1. ad 7. inclusive fuit inserta: supradicti omnes iudices ordinarii vocabantur; denique Delegati designantur. (Vid. sup. lit. D) Præsides provinciarum, & Merini majores aliquid commune cum his, qui hodie lingua hispanica Capitanes Generales, & Intendentes de Provincia vocantur, habebant, nam in rebus ad militiam, & regiam gazam attinentibus se immiscebant: immo Iudices Ordinarii de his cognitionem assumebant.

Ut opportune hæc pertractetur materia, alius locus desideratur, eo quod additionum harum angusti limites extensionem, quam requirit, non patiuntur: quare, ut præcedentia, & cetera plane omnibus innotescant, posteaquam remissiones, in exordio hujus adnotationis insertæ, memorie tradantur, debent recognosci leges 18. 19. 22. & 23. tit. 9. part. 2. 1. tit. 4. p. 3. tit. 13. 15. & 16. lib. 2. Ord. Reg. tit. 4. 5. & 9. 5. 6. & 9. lib. 3. tam legum quam Ad. Accord. Recop. Castel. in quibus de iudicibus tractatur, lingua vernacula Adelantados, Merinos, Alcaldes mayores de los Adelantamientos, Merindades, Arzobis, Corregidores, Alcaldes Ordinarios; De iudicibus vulgo Alcaldes de la Hermandad tit. 13. lib. 8. ejusd. Recop. agitur; De hisce tribunalibus supremam auctoritatem habentibus, & circumscripte ad unum territorium ex tit. 4. usque in fin. lib. 2. & ex tit. 1. ad 3. inclusive lib. 3. tam legum quam Ad. Acc. Recop. Castelle: per eosdem titulos qualitates, quæ hujusmodi munera obtinentur, in hærent, & obligationes, quas unusquisque adimplere tenetur, dignoscuntur: nihil intactum relinquatur, & conlatis omnibus utriusque temporis notabuntur differentia.

Hic ostenditur, & manet in addit. nov. hisp. verb. Forum, demonstratum, varia esse tribunalia creata, ut causæ, unicuique competentes discutiantur, & terminentur; verum sola per se (Ad rem vid. lit. E pag. 149. col. 1. vers. Alias) in tam amplissimis territoriis ad impendendum, & exequendum cum non sufficerent, impulit necessitas, alios iudices creare, qui vices suas gerentes præcepta legislativa in provincia sibi demandata

exsolvent, & muneri suo secundum præscripta satisfacerent: ideo pro qualibet vicariis omni tempore constituerent, & ministros eligere, fuit Regiæ fœneræ visum necessarium: hæc de causa, si attenditur in rebus bellicis, terrestribus; & maritimis, justitiæ administratio, Duces generales, etiamque Prorogæ ad aliquam provinciam cum Advocato Assessore, sive Auditore mittuntur, Tribunus Militum, hoc est legionis alicujus supremum caput hispano idiomate *Coronel de Regimiento* circa suos subditos cum Assessore, ubi eo causæ indigent, cognitionem judicialem assumunt, ad minus in prima instantia: nil hic loquitur de militibus, militiae adscriptis, stipendiaque non merentibus vulgo *Milicianos*: nec de Corporis regii Custodibus, scilicet lingua vernacula *Guardias de Corps, Españolas, y Walonas*, nec de illis, hastis bipennibus utentibus vulgo *Alabarderos*: recognoscantur iterum remissiones jam animadversæ *lit. F pag. 91. & 92. in nohis. add.* ibique permulta circa præcedentem materiam decernuntur: Ordinationes militares ne despiciantur; si de regis gazæ directione agitur, Intendentes nominantur, ab Exercitus Intendentibus separati, & diversi, utpote illi recuperationem regalium reddituum intendunt, isti in reâ distributione summum, quibus res indiget militaris, quamvis ex dictis regis proventibus fiat: si ad justitiæ honorificæ munia prout in communi obeunda, rerum in politia (*Vid. lit. F pag. 19. vers. Sancti Officii: in addit. hisp.*) consistentium expeditionem fit transitus, (etiam intra suos cancellos ceteri justitiæ administrant) præter Provincialium Consiliorum, Judices Ordinarios, Correctores, Gubernatores, Proprietores &c. eligi, inexcusabile fuit; hæc omnia licet sint summam prælibata, fere inter hæc jurisdictiones, & facultates (ab eodem fonte *vid. verb. Forum*, dimanant) potest animadverteri discrimen; si autem notatæ supra decisiones cum regia instructione, centum, sex & quadraginta capita seu articulos amplectente, (ann. 1749. 13 Octob.) bene digestæ retinentur, minime obscura hæc materia apparebit, præsertim dum de posterioribus resolutionibus, ipsomet articulos derogantibus, aperientibus, seu abrogantibus, Lector meminerit.

Prædicta sufficiant, & ad nostris temporibus decreta de judicibus Ordinariis, videlicet Prætoribus, & Proprietariis iter arripiatur. Cum regius Fiscus Patronus præjudicia ex accessione civitatis præfecturæ ad provincie consequentia animadverteret, nec posse utriusque dignitatis negotia unum subiectum recte adimplere, regio Castellæ Senatui notum fecit: & ut omnia confusionem commoventia depellerentur, hæc præfecturas secreti intellexit: quamobrem omnibus, quæ oriebantur, incommodis non temere meditatis, per *reg. Sched. 13. Novembris ann. 1766.* fuit provisum, Intendentes vulgo de Provincia, & Correctores suam jurisdictionem seorsim exercere, & quoslibet de causis ad propriam spectantibus, absque eo quod in messem alterius suam falcem immittat, cognoscere: idcirco justitiæ distributio, politicaque gubernatio inseparabiles civitatis præfecturæ dignoscuntur, & provinciæ, quæ regis gazæ, & belli propria considerantur: qua determinatione præ oculis habita, citata instructio in cap. 1. de justitiæ distributione agente, abrogationem meruit.

Jus unicuique expedite tribuere, anterioris schedulæ fuit præcipuum objectum; semper Reges Catholici curarunt, ut justitiæ facile, & sine acceptione pro meritis, & cuiusque virtutibus æqualis omnibus conservetur, quapropter diligentes judices non solum stipendia mererent sed etiam honoris augmentum: stipendia, quia mercede sua dignus est mercenarius, sine eaque justitiæ administrant, aut in contemptum dignitatis mendicare cogentur, aut illius mercaturam efficerent; honoris augmentum, nam post laborem convenit quem ad eum de venire, cum hæc spes homines alliciat, promissis (*eg. 34. tit. 2. lib. 2. Ind.*) stare: que quidem cum regis intentiones non expleant, etiamque adverterentur, per multos Prætores, (*Reg. Sched. 21. April. ann. 1783. & Reg. Decret. 1. Octob. ejusd. ann.*) postquam per triennium summunus gerebant, aliam præfecturam cunctanter impetrare, ad provisiones similium honorum faciendas nove

regulæ, & stabilimenta sunt in publicum redacta: tam consentanea, ut, siquis justitiæ distribuendi gratia fuerit assumptus, nec deant stipendia, nec ascensus: per tres classes inferiores judices distinguuntur: (scilicet tamquam æstimatur, quia gradatim proceditur) classium discretio juxta stipendii quantitatem designatur: ubi major summa & jurisdictionis extensio, licet eadem dignitas, ibi major gradus: si per duo de viginti annis (sex in quacumque) quisquam judicaturæ vacaverit, in amplissimo prætorio vulgo *Chancilleria* & *Audiencia* sedem seu honorem adipiscetur: numquam qui in eisdem prælaturis acceptionem mereatur, tempus vacabit: nec, quamquam perpetuo morbo laboret, in vitæ humanæ subsistentiam auxilia deficiant. Quid amplius appetendum ut justitiæ bene distribuantur? ad subventionem conceduntur necessaria, honor non denegatur? Quam excusationem judices consequentur, si partes suas optime non præstiterint? Undique ut eas adimpleant, est consultum: in tantum honorantur, ut inter Administratos, & Prætores aliqua (in super hic habetur justitiæ distributio) notatur convenientia, nam omnibus (*Reg. Sched. 8. Decemb. ann. 1782. §. 12. præced. Sched. 21. April. ann. 1783.*) indulgetur, ne per Superiores, sive provincialium Capita in custodia possint, inconsulto Principe, seu mandatum Consilio supremo, ejusve Gubernatore decernente, detineri; ortum, ni videtur, (respuatur judicium) ducere hæc indulgentia, ne parvi pendatur hujusmodi dignitates: ne vassalli, in quibus major mentis claritas non reperitur, subjectionem refugiant, quia si dignitates contemnantur, obsequium deficiet: ut evitentur casus, inferioribus præsertim causam ad timide in justitiæ distributione procedendum præbentes; rem bene aut male agere multoties in plena operantis libertate consistit: sine ea quid mirum justitiæ prout in concreto vacillare! Dum homines aspiciunt, majore in dignitate positos displicere gerenda, cum timore operantur, injungiturque necessitas interea temporis supercedendi in præjudicium vassallorum, seu temperamento aliquo actionem honestandi; ut hæc libertas semper attendatur, justissime fuit decretum judices supremos (*Leg. 25. tit. 4. lib. 2. 17. tit. 6. lib. 3. Audi. Acc. 57. in. 4. lib. 2. Recop. Castell. & 16. tit. 3. lib. 2. Ind.*) commendatitias literas ad Ordinarios mitti non debere, utpote preces superiorum tamquam præcepta æstimari solent, atque libertatis vires mitescere.)

JUDICIUM.  
SUMMARIUM.

- 1 *Judicium quid sit; quot vero & quæ seu principales, seu minus principales personæ ad illud constituendum requirantur; ad num. 7.*
- 8 *Judicium à quibus causis, & quomodo dividatur. ad n. 11.*
- 12 *In Judicio, seu processu summario que solennitates omitti possint, quæ vero non, ad num. 14.*
- 15 *In quibus causis judicium summarium institui possit, in quo solent, ac possit, ad num. 22.*
- 23 *An possit extra casum necessitatis & pietatis Judicium exerceri diebus feriatis; quot vero sint, & quæ feriarum species, ad num. 27.*
- 28 *Quid licitum vestimus sit circa dies feriatas, habita diversitatis feriarum ratione, ad num. 39.*
- 40 *Subneantur Additiones ex aliena manu, ad n. 92.*

Judicium sumptum pro causæ discussione, quæ coram iudice pro tribunali sedente fit, definitur, quod sit legitima controversia apud iudicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, & ad iudicium; Est in re communis, cum Glossa in cap. Forus 10. de verborum significat. verb. Judicium, ubi dicit, quod Judicium est legitimus altus duarum personarum, Actoris, & Rei super eadem questione super eodem iudice contracta.

Ad constituendum Judicium requiruntur ordinariè tres personæ principales, scilicet *Judex, Actor, & Reus*. Inter litigantes 62. *Junta Gloria mag. lib. F ff. de Juridictis, cap. Forus 30. de verbor. significat.* Judex sic dic-

tus, quasi *Jus dicens populo*, sive quæ *Jure disceptat*; prout expresse habetur in cap. Justum est 1. *caus. 23. quest. 2. & in cit. cap. Forus 10. de verbor. significat.* est persona, quæ publica auctoritate Judicio præest, & quasi mediatore agens inter litigantes, rem controversam secundum Juris præscriptum definit, *arg. cap. In istis 3. dist. 4. & cit. cap. Justum est, & cit. cap. Forus*: Actor ab agendo dicitur, est persona, quæ actionem proponit, & prior ad Judicium provocat; *leg. in tribus 13. l. Qui prior 29. de Judicis, & talis in causis criminalibus proprie vocatur Accusator leg. inter. 20. leg. Accusatore 13. ff. de public. Judic. leg. Si accusatoribus 4. Cod. de accusat. & cit. cap. Forus 10. de verbor. significat.* expresse dicitur. *Accusator vocatus est, quasi accusator, quia ad causam vocat eum, quem appellat.* In causis autem civilibus proprie vocatur Actor, seu Petitor, *leg. inter. 62. de Judicis.* Reus sic dicitur non à reatu, sed à re, de qua disceptatur, & est controversia, ut expresse habetur in cit. cap. Forus libi: *Reus à re, quæ petitur, nuncupatur, quia quamvis conscius sceleris non sit, Reus tamen dicitur, quæ in Judicio pro re aliqua petitur, est persona, quæ ab Actore provocatur, seu in Jus vocatur, & contra eam in Judicio agitur.*

Notanter autem dicitur est *tab. num. 2.* quod ad constituendum Judicium requiruntur tres personæ principales, quia ultra ipsas tres personæ principales solent intervenire alie personæ minus principales, seu accessoriæ, ut *Testes, Advocatus, Procurator, Tabellio, & alie nonnullæ, veluti Ministri Justitiæ, ut docet Communis praxis.* De his vero, quæ concernunt Judicem, Actorem,

Reum, Advocatum, & Procuratorem, *Vide verb. Judex, Actor, Reus, Testis, Advocatus & Procurator.* Judicium dividitur juxta quatuor causarum generas, scilicet à causa efficiente, seu ratione Judicis illud peragentis, dividitur in Judicium ecclesiasticum, & seculare. Judicium ecclesiasticum est illud, in quo coram Judice ecclesiastico disceptantur, & definiuntur causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes. Judicium seculare è contra est illud, in quo coram Judice seculari, seu laico disceptantur, & definiuntur causæ ad forum seculare pertinentes. A causa finali, seu ratione finis, ob quem processus judicialis instituitur, dividitur Judicium in Civile, Criminale, & Mixtum. Judicium civile est illud, in quo Actor suum, vel alterius commodum privatum prosequitur, sive causa ex contractu, sive ex delicto descendat, non agendo tamen super delicto, seu crimine, Judicium Criminale è contra est illud, in quo agitur super crimine ad publicam vindictam, seu poenam publicam, sive ea corporis sit, sive pecuniaria applicanda Fisco, aut publici officii privato, & hujusmodi. Judicium Mixtum est illud, in quo partim civile, & partim criminaliter agitur, ut *g. cum de crimine aliquo, ut de furto, & damno illato, agitur ad interesse partis, & simul ad vindictam publicam.* A causa materiali, seu ratione materiæ controversæ Judicium dividitur in petitorium, & possessorium. Judicium petitorium est illud, in quo principaliter disceptatur de rei proprietate, dominio, vel quasi dominio, vel de jure aliquo in re, vel ad rem competente, ut si res vindicetur, hæreditas petatur, actio empti, depositi, commodati, aut alia simili-

Vix enim alibi summæ potestatis auctoritas majori cognoscitur energia, quam Regis in tribunalibus, ubi jus dicitur, justitiæ administratur, & Imperium in tota sua latitudine exercetur. Inevitabilia Judicia fore, ex quo hominum multitudo in civili coaliuit societate, partim ex naturali proclivitate dissentendi, partim ex innata cupiditate habendi, sicut necessaria, ut causæ controversæ inter cives publica auctoritate discuterentur; Jurispetitorum, omnium una est vox, & definitio. Ad hoc verificandum tres personæ principales concurrere, scilicet, Actorem, Reum, & Judicem, est in prolapu. Ordinem naturalem in omnibus judicis præcisè servare Judices debere, non est qui ambigit. Adscititii verò Judicium processus in Hispaniæ tribunalibus observantia, jussa multoties invenitur; (1) diversitas tamen Judiciorum à causis præsertim materiali, formalive provenita permittere equidem valet, sed dumtaxat de plano cognosci in possessionis summario, summarissimo & interim Judicio intentato, plenariis possessionis preparatorio: ut in Interdicto Div. Adriani, ex *gr. Carbon. Edicto*, cum mulier ventris nomine petit in possessionem mitti (2), redintegrandæ (3), ceterisque privilegiatæ naturæ. Præter hos vix cognoscitur Hispaniis tribunalibus summarium; sed plenarium possessorium, plerumque verò ordinarium petitorium. De singulis sigillatim tractare mare magnum æstimatur. Quæ enim actio, aut exceptio Clientibus conveniat introducere, casu occurrente, Causidicorum, Jurispetitorumque relinquunt præudente.

Ut non permaneat intacta materia, aliquidque in ejus cognitionem extendatur, attendi debet, qua cum actione contendere in judicio volentes se presentent: quippe cujuscumque sit naturæ, ordinariæ aut executivæ, tam canonico quam patio jure, ecclesiastici, secularesve Judices solemnitatibus observantiam ac processus formationem in utroque stabilitarum, effugere hæc possunt; sic est omnibus secularibus, & ecclesiasticis præventum (4); his utpote inseparabilis Regiæ Majestatis conceditur protectio, ut dispositiones canonice erga ipsam formationem dirigentes, in effectum perducantur (5); propterea quod si in minimum infringantur, venit recursus de vi in modo cognoscendi, & procedendi intentandus, & si bene instructus, decretum adnotatur, vel providetur lingua hispana. *Que el Juez en conocer, y proceder, como conoce, y procede, hace fuerza* (6).

- (1) *Reg. Sched. 5. Sept. 1767. Ibi:* He ordenado entre otras cosas, para que se corrigiesen los abusos introducidos en los tribunales contra la pura, y recta observancia de las leyes del Reyno: *Reg. Sched. 11. Januar. 1770. Ibi:* Encargo a todos los tribunales, y Jueces estrechamente la observancia de las leyes: *Junta*
- (2) *L. 7. tit. 22. p. 3. Escodriñada,* è sabida la verdad del pleyto debe el juzgador dar su juicio. Pero pleytos, y ha que el juzgador non ha porque facer grande escodriñamiento, si non oirlos, è librarlos llanamente: è esto mismo decimos que debè ser guardado quando alguna muger finca preñada de su marido que finò, è demanda al juzgador en nome de aquella criatura que tiene en el vientre. Que dando ella pruebas, ò presunciones que era su muger legitima, è que è fincra preñada del, maguer las pruebas fuesen dudosas, è non lo digesen claramente, debe ser apoderada por juicio de aquellos bienes que demanda en nome de aquella criatura, è puede vivir, è mantenerse en ellos: *Junta*
- (3) *L. 2. tit. 13. lib. 4. Ibi:* Y restituyan à la parte depojada hasta el tercero dia: *L. 3. ejusd.* Procediendo en todo sumariamente sin figura de juicio: *L. 5. ejusd.*

*Ibi:* Ordenamos, y mandamos à los Concejos, Justicias de los lugares donde esto acaeciese, que luego restituyan, y hagan restituir à los tales despojados, y saquen de las prisiones à los que asi fueren presos, habida solamente sumaria informacion de que como las tales personas fueron presas, y les tomaron sus bienes, sin mandado de Juez legitimo. *L. 3. tit. 7. lib. 7. Ibi:* O que el dicho Concejo fue despojado de la posesion de ello, que luego sin otra figura de juicio, y sin conclusion de causa, torne, y restituya, y haga tornar, y restituir al tal Concejo la posesion libre, y pacifica de aquello que hallare, que fue despojado. (4) *Vid. verb. Forum.* (5) *L. 37. tit. 3. lib. 1. cap. 7. Ibi:* A cuyo fin ordeno al mi-Consejo este muy atento para que no se falte à lo dispuesto por los sagrados canones, cuya observacion me pertenece. *Vide verb. Forum.* (6) *Auct. acord. 4. tit. 1. lib. 4. §. 2. Ibi:* Y que si por algun Juez Ecclesiastico se procede con injusticia notoria en defensa del que la padece, se dà el auto medio: de que el Juez en conocer, y proceder, como conoce, y procede, hace fuerza: *Junta*